



The Holy See

EPISTULA DATA LEONARDO S.R.E. CARDINALI SANDRI

Venerabili Fratri Nostro

Leonardo S.R.E. Cardinali Sandri

Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus

Sacratissimas inter memorias quae, pietatis causa, iam diu invisuntur ab iis qui primaeva Bibliorum loca petunt, praeclarus eminet Mons Nebo a quo Dominus ostendit Moysi “omnem terram Galaad usque Dan et universum Nephthali terramque Ephraim et Manasse et omnem terram Iudae usque ad mare occidentale et Nageb et latitudinem campi Iericho civitatis palmarum usque Segor” (*Dt 34, 1-3*). Hoc brevi conspectu terrae “lacte et melle” fluentis usus, inclitus ille propheta mortuus est ibi, “in terra Moab, iubente Domino” (*Nm 13, 27; Dt 34, 5*).

Iussit vero Dominus deinde ut Filius in mundum veniret, qui “amplioris gloriae prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet quam domus, qui fabricavit illam” (*Heb 3, 3*). Itaque decet magnopere locum reintegrare quo, primordia Ierusalem terrestris intuitus, sepultus est iste praecursor Christi venturi. Quocirca transmissum est Nobis rogatum Reverendi Patris Francisci Patton, O.F.M., Custodis Terrae Sanctae, ut aliquem Patrem Purpuratum mitteremus qui partes ageret Nostras inter sollemnia inaugurationis Sanctuarii memorialis Moysi dicati in Monte Nebo. Iustae insuper huic postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus quippe qui industriam colles in Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus moderanda. Te igitur hisce Litteris *Missum Extraordinarium Nostrum* nominamus ad celebrationes inaugurationis Sanctuarii Moysis in Monte Nebo, quae die XV huius mensis Octobris sollemni modo in “vertice Phasga” agentur (*Dt 34, 1*).

Hoc in anno divinae misericordiae dicato, omnes istius eventus participes adhortaberis ut, propheta Moyse intercedente, dona Spiritus Sancti fervida oratione expetant, quibus corda omnium hominum magis ad Deum convertantur, mentis oculi aperiuntur atque divinae revelationis profundior evadat intellegentia. Cunctos sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros

mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam, quam ad universos quoque Auctoritates civiles omnesque participantes extendas volumus.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus, ut efficaciter officium tibi concreditum expleas, ita ut omnes monumenti inaugurationem participantes uberibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Nostra Benedictio Apostolica, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimus, quam item ad omnes, fausta hac occasione data, illic congregatos volumus pertinere.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III mensis Octobris, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS